



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, M.DCCXI**

§. I. Advertenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

ratione libertatis antecedentis imputetur, & sit voluntaria indirecte in causa liberè posita, & non retractata. Hoc iterum repetit n. 155. concludens, quod ad peccandum de novo novitate partiali satis sit, ut quis de novo deliberatè, seu cum pleno rationis iudicio ponat actum contrarium legi naturali; etsi dum ponit nullam habeat advertentiam ad malitiam ratione suæ culpæ antecedentis; satis enim est, ut eam antecederet habuerit formaliter, vel virtualiter, adeoque ad peccandum per ignorantiam satis est, ut libertas facti præfens, & libertas peccati præterita, moraliter perseveret. Ratio est; quia, qui suâ culpâ nunc caret advertentiâ malitiæ, perinde se habet, ut imputetur ei actio contraria legi deliberatè posita, ac si de præfenti eam advertentiam haberet; etsi absolute minùs peccet. Demum tradit disparitatem suæ à sententiâ Jansenistarû, nam Jansenistæ docent, non esse necessariam libertatem personalem præteritam, ut nunc peccem: contra P. Thyrsus vult, satis quidem esse nunc libertatem facti, attamen cum libertate personali præterita moraliter perseverante, perseverat autem quousque peccatum negligentia non retractatur. Quare ille esset Jansenista, qui diceret, ad peccandum nec requiri, quod quis nunc cognoscat opus esse moraliter malum, nec requiri, quod habeat, vel habuerit in se potentiam liberam ad id cognoscendû, sed satis esse, quod eam in Adamo habuerit; cum sit de fide, quod ad peccandum peccato personali requiratur voluntarium personale, quod non stat sine cognitione malitiæ distinctâ, aut confusâ, formali, aut virtuali; immediatâ erga malitiam in se, vel mediatâ erga malitiam in alio; est enim certum ex S. Thom. in 2. dist. 30. qu. 1. art. 2. ad culpam personæ requiri voluntatem personæ. Hæc P. Thyrsus n. 156.

## S E C T I O II.

*Vera sententia pluribus conclusionibus exponitur.*

## S. I.

*Advertenda.*

## S U M M A R I U M.

*Quid advertentia actualis, & expressa; quid virtualis, & interpretativa? n. 28. ad 36.*

*An ut actus sit meritorius, sit à charitate in Deum ordinandus? Doctores, n. 30.*

*Omnis advertentia interpretativa fundatur in actuali, n. 32.*

*Intentio virtualis diversimodè exponitur, n. 33. ad 36.*

Tom. I.

*Per me intentio, aut advertentia virtualis, est ipsamet actualis, sed insensibilis, n. 36.*

*Quid intentio habitualis? non est satis ad Sacramentum conficiendum, ibid.*

*Omnes conveniunt, quod ut quis peccet, opus non sit, ut toto tempore, quo peccat, advertat, n. 37.*

*An ad peccatum formale requiratur expressa, an satis virtualis advertentia? Doctores, n. 38.*

*Tota difficultas est, quomodo, si advertentia est necessaria, dentur peccata ignorantia? n. 40.*

*P. Vasquez ait, hoc non egere longâ disputatione, nisi quia Moderni manifesta veritati contradicunt, ibid.*

**A**Dverte 1. quod sicut in plerisque nostris actionibus duplex distingui solet intentio, alia actualis, alia virtualis, seu interpretativa; ita in præfenti duplex distingui solet deliberatio, & advertentia malitiæ, alia actualis, & expressa, alia virtualis, seu interpretativa; cujus divisionis mentionem faciunt Theologi infra citandi, & citati à P. Ovied. 1. 2. tr. 4. contr. 1. pu. 4. P. Palao tom. 1. tr. 1. d. 1. pu. 4. Actualis, & expressa cognitio, seu advertentia malitiæ est, quâ quis actu clarè cognoscit, sive verè, sive falso, tale objectum, aut actum esse malû, vel saltem dubitat, an tale sit. Virtualis, seu interpretativa diversimodè exponitur ad modum, quo intentio, & ordinatio virtualis exponi solet. Ut enim in Tractatu de Merito, Sacramentis, & Charitate, ubi queritur, an, ut actus aliarum virtutum sint de condigno meritorij vitæ æternæ, debeant ordinari à charitate in Deum: Doctores, & Thomistæ, qui talem charitatis ordinationem tamquam necessariam admittunt, dicunt, satis esse ordinationem virtutalem; si autem queratur, quid ea sit, explicant aliqui esse actum charitatis non retractatum, quo quis reliquos aliarum virtutum actus in Deum ordinavit: ita Gonet. tom. 4. d. 2. a. n. 135. & Mairius in 2. d. 7. q. 9. alij dicunt esse actum charitatis existentem in sui virtute, & effectu, quo charitatis actu alij virtutum actus diriguntur in Deum: ita Pontius d. 36. n. 90. alij dicunt esse actum charitatis insensibilem, & remissum, quo pacto per intentionem remissam explicant intentionem virtutalem: ita C. de Lugo d. 8. de Sacramentis, P. Muniella d. 33. de Incarn. n. 88. P. Suar. tom. 3. in 3. p. ita virtualis, seu interpretativa advertentia malitiæ erit, vel advertentia peccati non retractata, ut innuit P. Thyrsus, vel advertentia malitiæ perseverans in effectu ad eam advertentiam secuto; vel remissa, & insensibilis advertentia malitiæ; immò interpretativa, & virtualis advertentia malitiæ est juxta aliquos

S ij quos

Lorca,  
P. Suar.  
M. Med.  
M. Tap.

quos cognitio actus, aut objecti præcendens, an sit bonum, vel malum, cum potentia, & debito advertendi, an sit malum, ut sentire videtur P. Suar *d. 4. de Volunt. sect. 3.* Lorca *d. 28. de Peccatis, Montefinos tom. 1. d. 7. qu. 1.* Medina *1. 2. qu. 19. art. 6.* & alij apud P. Oviedo *l. c.* quibus adherere videtur M. Tapia *tom. 1. lib. 3. qu. 7. art. 4. n. 3.*

N.  
22.  
P. Ovic.

Sed hæc expositio merito rejicitur à P. Ovied. volente omnem interpretativam malitiæ cognitionem fundari necessario in cognitione actuali expressâ apprehensivâ saltem, vel dubitativâ malitiæ, adeo ut repugnet advertentia interpretativa malitiæ sine præcedenti expressâ cognitione malitiæ, apprehensivâ saltem, vel dubitativâ. Ratio est; quia implicat, ut quis habeat potestatem ad cognoscendam malitiam, & velit se applicare ad eam cognoscendam, quin apprehendat prius malitiam; nam nihil volitum, quin præcognitum: ergo si cognitio interpretativa malitiæ est cognitio objecti præcendens à bonitate, & malitiâ illius cum potestate cognoscendi malitiam, eo ipso hæc potestas libera cognoscendi malitiam præsupponit actualem apprehensionem, aut dubitationem malitiæ; quomodo enim dicat, Volo cognoscere malitiam, quin antea eam apprehendat, cum nihil volitio attingat, quod prius intellectus non attingat, & omne objectum volitionis est prius objectum saltem apprehensionis.

N.  
33.

Quapropter, ne longius abeam, dico, quod sicut intentio virtualis consecrandi, aut absolvendi est juxta magis solidam expositionem ipsa intentio præfens remissâ, non autem est sola intentio actualis præterita non retractata; qui enim dormit, non retractat eam intentionem, nec tamen tunc habet intentionem virtualem; atque adeo intentio virtualis præter non retractationem intentionis actualis præteritæ dicit aliquid aliud, nempe virtutem, in quâ durat ea intentio actualis; quæ virtus melius explicatur dicendo esse ipsam intentionem actualem, sed remissam, & insensibilem in suo esse physico perseverantem; vel esse effectum liberum ex eâ derivatum, & sub eâ imperatum, ex. gr. esse accessum ad templum, sacrarum vestium indumentum, & religiosos actus, qui ex intentione actuali præteritâ imperati sunt: ita in casu nostro, interpretativa, vel virtualis deliberatio, & advertentia malitiæ, præter actualem expressam malitiæ advertentiam, & ejus non retractationem, dicit volitionem, seu advertentiam actualem liberam remissam, & insensibilem malitiæ, aut effectus liberos ex eâ actuali expressâ

N.  
34.

malitiæ deliberatione præteritâ imperatos, in quibus dicitur moraliter perseverare. Rursus sicut intentio actualis consecrandi, præter volitionem, dicit cognitionem expressam objecti voliti, seu consecrationis volitiæ; nihil enim volitum, quin præcognitum: & sicut intentio virtualis consecrandi, præter actum voluntatis remissum, dicit cognitionem remissam consecrationis volitiæ; ita volitio, seu deliberatio expressâ malitiæ dicit cognitionem expressam malitiæ volitiæ; & volitio interpretativa malitiæ dicit cognitionem virtualem, seu remissam malitiæ; nil enim volitum, quin præcognitum.

Dixi itaque intentionem virtualem non esse nisi ipsam intentionem actualem remissam; vel, si placet, dic cum Caram. *lib. 1. Theol. Mor. Fund. n. 157. pag. mibi 72.* quod intentio virtualis est intentio actualis directâ, seu non cognita signatè, & reflexè, sed tantum exercitè; intentio autem actualis est ipsa intentio directâ, ut reflexè cognita: ex. gr. si cognosco signatè me habere intentionem actualem directam, erit intentio actualis; si autem non cognosco, sed purè exercitè habeo eam intentionem actualem, erit intentio virtualis; quapropter dixi intentionem virtualem non esse, nisi ipsam intentionem actualem insensibilem, seu remissam; sicut autem certum per omnes est, quod intentio habitualis, quæ non est nisi intentio non retractata, præterita tamen, quæque in se non manet, non satis est ad Sacramentorum consecrationem, sed necessaria est, vel actualis, vel virtualis; ita dico ad peccandum non satis esse cognitionem habitualement, sed necessariam esse virtualem, vel actualem malitiæ cognitionem.

Adverte 2. omnes Doctores convenire in hoc, quod ad peccatum non est necesse, ut toto tempore, quo quis peccat, cogitet actu se peccare; quapropter P. Teril. *qu. 63. num. 33.* merito conqueritur, quod P. Eliz. nullo citato dicat, Theologos velle neminem contra legem peccare, quin eo tempore, quo peccat, advertat malitiam, ejusque periculum; nam rectè subdit P. Teril. Ego certè nullum vidi, nec existimo ullum esse, qui ita crudè sentiat de omnibus etiam illis, qui scientes, & volentes in scelera consentiunt; quis enim eos à peccato immunes faciat, eò quod pro aliquo instanti actionis pravæ de illius malitiâ actu non cogitent? Et *num. 2.* ait, eum, qui legem, cujus actualiter est conficius, mox vehementi passione violat, & liberè prosequitur opus inchoatum, toto tempore peccare imputabiliter, quamvis singulis instantibus actu

N.  
35.  
Caram.

N.  
36.

N.  
37.  
P. Teril.  
P. Eliz.

actu non advertat se peccare : ergo certum apud omnes est, quod, ut quis peccet, non est necesse, ut toto tempore, quo quis peccat, cogitet actu se peccare, sed satis est, ut ex libertate peccati antecedenti continuet idem opus, ob quam erit imputabile in ratione peccati eo modo, quo in alijs operibus libens, ut quis dicatur liberè studere, non est necesse, ut quolibet instanti cogitet se studere; immo quò magis quis studet, minùs advertit se studere, sed satis est, ut continuet idem studium, ex eà intentione libera, quà studio se applicuit; ex hac enim studiù toto tempore denominatur liberum.

N. 38. Adverte 3. certum quoque apud DD. Catholicos esse, quod ad formale peccatum (sive Theologicum, sive purè Philosophicum, si possibile est) requiritur necessario advertentia peccati, sive expressa, ut aperte docet S. Thom. *qu. 15. de Veritate art. 1. D. Bonav. in 2. dist. 29. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 3. ad finem, & d. 107. cap. 3.* adducens plures Antiquos, P. Granado 1. 2. tr. 3. d. 3. P. G. Hurt. d. 4. de Peccatis, *diffic. 4. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 1. n. 7. P. Salas 1. 2. tr. 8. d. unicà tr. 4. contr. 1. pu. 4. & alij*, quos dabo §. 3. sive interpretativa, seu virtualis, ut sufficere docent P. Suar. d. 4. de Volunt. *sect. 3. Lorca d. 28. de Peccatis, Montefin. tom. 1. d. 7. qu. 1. n. 17. M. Medina 1. 2. qu. 19. art. 6. Camram. lib. 2. Theol. Fund. pag. mihi 479. num. 1361.* qui tamen videtur deinde docere oppositum, M. Mart. de Prado in *Theol. Mor. cap. 2. de Peccat. qu. 5. M. Tapia tom. 1. lib. 3. qu. 7. art. 4. n. 3.* Ratio est evidens; quia implicat, ut voluntas sit potens velle peccatum, nisi cognoscat peccatum, nam nihil voluntas velle potest, nisi hoc ipsum ab intellectu proponatur: ergo implicat peccatum sine prævia advertentia peccati, seu malitiæ; ut etiam tradidit P. Thyrsus *tom. 4. d. 6. n. 42.* agens contra Janfenium; ait enim, non minus esse de ratione peccati cognitionem malitiæ formalem, aut interpretativam, præsentem, vel præteritam physicè, & moraliter præsentem, quàm libertatem indifferentiæ: ergo juxta fidem, immò juxta rationem naturalem, ut late ostendimus d. 5. & 6. ad formale peccatum requiritur necessariò cognitio peccati; quia verò advertendo 1. dixi, quòd omnis virtualis, & interpretativa advertentia malitiæ, seu peccati præsupponit expressam advertentiam malitiæ saltem apprehensivam, vel dubitativam, idèò saltem hæc requiritur. Modò tota difficultas est combinare peccata ignorantie cum necessi-

Tom. I.

tate advertentiæ; si enim dantur peccata ignorantie: ergo sine cognitione peccati, seu cum ignorantia peccati, peccatur; ergo ad peccatum non est necessaria advertentia peccati; ergo peccatur, quin advertatur peccari. Hæc est summa questionis, & difficultatis, quæ quidem, ut loquar cum P. Vasqu. l. c. ab Antiquis adeò egregiè agitata fuit, ut nisi Moderni aliqui veritati manifestè contradixissent, longè non egeret disputatione. Hæc P. Vasqu. suo tempore; quòd tamen potiori jure modò dici potest post doctrinam P. Elizal. & P. Thyrsi, qui quoad hoc punctum, *peccatur verè, & propriè, quin eo instanti, quo peccatur, advertatur peccari*, doctrinam Elizaldæ defendendam suscipit; & multò magis hoc dici potest post Dissertationem Theologicam de advertentiâ requisitâ ad peccandum formaliter, editam Leodij anno 1695. à F. Norberto de Elbecque Ordin. Prædicatorum, quem Authorem scorsim impugnabimus.

## §. II.

Conclusiones faciliores.

## S U M M A R I U M.

*Est de fide dari peccata ignorantie, n. 41.*  
*Opus contra legem ex errore vincibili est peccatum ignorantie, n. 42.*  
*Idem opus præter malitiam ignorantie vincibilis contrahit aliam malitiam speciem contra virtutes præceptas, n. 43.*  
*Si ignorantia olim vincibilis fiat nunc prorsus invincibilis, opus contra legem non est peccatum formale, sed materiale, n. 45.*  
*Expono conclusionem, n. 46.*

**P**rima conclusio: Dantur peccata ignorantie verè, & propriè talia. Est omnium Catholicorum. Patet ex pluribus Scripturæ locis, in quibus petitur, ut Deus remittat peccata occulta, & in lege antiquâ offerebatur sacrificium pro peccatis ignorantie; & David petit sibi suas ignorantias ignosci; nemo autem petit sibi propriè ignosci, nisi quod ignoscitur, sit propriè culpa. Patet quoque ex omnibus T. T. in 1. 2. & hoc fusè tractat P. Eliz. 2. p. lib. 5. qu. 3. §. 2. mihi pag. 12. nec est, quòd in hoc immerer; satis est S. Thom. qui in 2. dist. 22. qu. 2. art. 1. ait: *Nec mirum est, si hoc ipsum, quod est scientiâ carere, est peccatum ei, qui potest, & tenetur habere, cum etiam carere aliquo corporali ad officium pertinente peccatum sit, ut tonsura... quòd autem ista in se peccata sint, pœna ostendit.* Idem ait 1. 2. qu. 6. art. 7.

Secunda conclusio: Quæcumque sunt contra

Sij

contra